TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

D Y S P E P S I A.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

DYSPEPSIA:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BREHIER,

GALLUS.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

PRÆCEPTORIBUS SUIS

HONORATISSIMIS,

JOSEPHO BLACK,

ALEXANDRO MONRO,

FRANCISCO HOME,

JACOBO GREGORY,

DANIELI RUTHERFORD,

ANDREÆ DUNCAN,

THOMÆ CAROLO HOPE,

HOC OPUSCULUM,

GRATITUDINIS ET OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

SACRUM VULT

AUCTOR.

NECNON

PERDILECTIS CONCIVIBUS

PETRO POIRIER, M. D.

ATQUE

LUDOVICO MARIÆ JOLY,

HUIC, PROPTER CARORUM PARENTUM

VITAM SERVATAM,

ISTI, PROPTER SINCERAM,

QUA ILLUM

DIGNATUS EST,

AMICITIAM,

HANC DISSERTATIONEM

OFFERT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSPEPSIA.

JOANNE BREHIER, Auctore.

QUO de meis, in arte hippocratica, progreſſibus conſtiterit, tentamen inaugurale editurus, res fructus uberioris quærendas eſſe ratus ſum, licet minus ornatæ ſpeciei. De Dyſpepſia ideo ſcribam, morborum certe, inter cultu et artibus emollitas gentes, frequentiſſimo, multiſque morbis nec artis auxilio, nec naturæ viribus debellandis originem dante; cujus, in-

ſuper, inveſtigando cauſas et remedia, tum quæ ſanis conveniant diæta, corporis exercitatio, animi paſſiones; tum quæ imbecillis, inquirere debui, attentuſque inquiſivi, humiles ſed utiles labores præferens ſuperbæ eruditionis oſtentationi: veteres pompoſe citaſſe parvi facio.

Quæ meæ provinciæ feci, quam elucidatiſſime potero, ſequenti ordine evolvam; 1*mo*, De morbi definitione dicam; 2*do*, De hiſtoria; 3*tio*, De diagnoſi; 4*to*, De cauſis; 5*to*, De prognoſi; 6*to*, De conſiliis medendi.

DEFINITIO.

Dyspepsiam idiopathicam ſic recte definiebat Cullenus: "Anorexia, nauſea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia, pauciora ſaltem vel plura horum ſimul concurrentia, plerumque cum alvo adſtricta et ſine alio vel ventriculi ipſius, vel aliarum

"part-

"partium morbo;" nunquam enim hæccc adeerunt ſymptomata quin adfuerit Dyſpepſia, viciſſimque, muneri exequendo, ſi impar factus fuerit ventriculus, illa expectanda erunt, quædam ſaltem ex ipſis, ni de levibus iſtis affectionibus agatur quas indicabit lingua ſordida cujuſdamve in epigaſtrio ponderis ſenſus.

Minus bene a multis noſologis totidem morborum genera annumerata fuerunt anorexia, nauſea, gaſtrodynia, cardialgia, ructus, ruminatio; haud dubium enim eſt quin hæc omnia, ab eadem ventriculi affectione, nunc unum, nunc alterum, ſint oritura. Multum, omnibus qui ante ſe ſcripſerunt, antecelluit Cullenus, hæc omnia, unius morbi ſymptomata, diverſas formas induere amantis, haberi dum voluit. Dyſpepſiam quidem in ſuæ noſologiæ generibus diſpoſuit Vogelius, ſed nullis ſignis, quibus dignoſcatur, definitam.

HISTORIA MORBI.

Hujus morbi hiſtoriæ ſcribendæ, ſufficientem vix fore Æſculapium ipſum credimus.

Haud ſecus ac animalcula hæc ephemera obſervatorum ſedulam attentionem deludentia, nunc vix attenditur, adeo celeriter tranſit; nunc autem a primis incunabulis, uſque ad longioris vitæ extremum, miſeros illos torquebit quibus immeritam tranſmiſerint labem vitiis onuſti parentes vel quos debilitarint exſucca ubera nutricumve incuria.

Nulla eſt corporis functio quam identidem non perturbarit imbecillus ventriculus; quam conſtanter, nulla. Plerumque functiones ſat bene exercebit cor, ſæpe elanguebit, palpitabit haud raro, neque, ſi ſyncope ſupervenerit, mireris. Spiritum plerumque bene trahunt dyſ-

peptici

peptici et efflant, haud pauci, afthmate, dyfpnœa, tuffi laborabunt. Multis perpetuo arefcunt fauces, multis perpetuo defluit faliva; multi fuper cibis naufeant, multi fat bene appetunt; plerique alvum tardiorem incufant; haud rari alvo folutiori debilitantur. Innumeros macros videris, obefos innumeros. Quidam illæfum retinent guftum, quibufdam omnia amara. Nunc aures tinniunt, nunc odores percipiuntur ingrati. Vifus adeo ftupendæ narrantur affectiones, ut nullam fibi conciliaffent fidem ni ab integerrimis referrentur auctoribus, Sauvagefio, Celeb. Prof. Gregory.

Mentis vero functiones, nec non ab iis adeo pendentes voluntarios motus, conftantius lædi certum eft. Qui per longum tempus, diro crudelis hujufce morbi imperio fubjecti fuerint, nullos repereris ftrenuos, agiles; pauciffimos quorum non deprimatur animus, mentalefque facultates non langueant; quod autem mirum

eft,

eſt, hos moleſtiſſimos effectus, haud raro, primi producent morbi impetus.

Incaſſum, hiſtoriæ conſcribendæ cauſa, auxilium petemus a diverſorum inveſtigatione morborum quibus conjungi hic morbus amat, Cephalææ, Hyſteriæ, Amenorrhœæ, Menorrhagiæ, Colicæ, Tympanitidis, Anaſarcæ, Ephidroſis, Diabetis, Iſchuriæ, Polyſarciæ, &c.. ſæpe horum omnium, quantumvis inter ſe diſcrepantium, vel cauſa eſſe poterit, vel effectus, vel comes.

Uno verbo, hiſtoriam proteiformis Dyſpepſiæ ſcribant ſolertiores. Viribus imparem me fateor. Quin imo illam vix poſſibilem eſſe judico. Nulla definita duratio, nulli definiti violentiæ gradus. Nulla affectio conſtans; confuſionem vero adaugebit variabilis ſucceſſio ſymptomatum.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Maximo cum probabilitatis gradu, a quolibet morbo Dyſpepſiam diſtinguemus.

1*mo*, Atonica podagra plerumque cum doloribus artuum lenibus, fugacibus, alternat; ratio inſuper habenda ætatis; vitæ, quod præceſſit, generis; præcedentium affectionum; conſanguineorum morborum; temperamenti denique.

2*do*, In Dyſpepſia organici vitii ſymptomatica, idem fere dolor, eidem ſemper affixus erit loco, eodem, poſt cibos aſſumptos, temporis intervallo, plerumque ſentitus. Lucem afferet de præcedentibus morbis inquiſitio, gaſtritide, enteritide, &c. haud raro dubia ſolvet tactu partium exploratio.

3*tio*, Gaſtritidem quam eryſipelatoſam dicere

amavit

amavit Cullenus, comitatur pyrexia. Dyfpepticis amiciffima funt lenia acria, vinum rubrum, finapis, &c. quæ protinus rejiciet gaftritide laborans ventriculus. Dolorem in gaftritide adaugebit preffio, inflammationem indicabit lingua rubra eryfipelatofufve faucium rubor.

4to, Dolores a calculo felleo cui haud defcenfus patet Dyfpepfiam fæpe mentientur, quos tamen non præcefferint folitæ pravæ digeftionis caufæ. Eandem, præterea, fedem femper occupabunt, nec abforbentibus deglutitis levabuntur, nec opio, effectu faltem duraturo, fubigentur. Litem dirimeret fola icteri præfentia, ni, identidem, a fpafmo inteftini duodeni procederet; quo raro in cafu, difficilem effe diagnofim fatendum.

5to, Cum hepatitide chronica, ut pote remedia adeo diverfa poftulante, ne confundatur periculum majus. Hepatitide laborantes, mane, poft menfam, Dyfpepticos, affliget vomitus.

Citius

Citius hepatitidem inſequentur hydropici affectus, certius icterus nigritieſve quædam. Hepar affectum monſtrabunt nigræ fæces, horrenda ſomnia, conſtantes hypochondrii dextri dolores, dolor humeri dextri preſſione inductus. Quinetiam, cum hæc omnia deſiderabuntur, hepar affectum ſuſpicari licebit, acutæ hepatitidi antea ſi ſubjectus fuerit æger, vel vitam in Indiis, præcipue orientalibus, degerit.

6to, In Pyroſi ſat regulares obſervantur paroxyſmi, præcipue matutinis horis vacuoque ventriculo, quos excipit humoris aquei, plerumque inſipidi, eructatio ; durante pyroſis paroxyſmo, dolorem adauget erectus corporis ſitus.

7mo, Ab incipiente phthiſi ſat facile diſtinguetur Dyſpepſia. Phthiſicorum enim tuſſicula vomitum præcedit, frigore exacerbatur ; cum autem, quod ſæpe evenit, uterque aderit morbus, nulla diagnoſis expectanda.

8*vo*, Facile a tabe diſtinctio fiet propter febris hecticæ præſentiam in tabidis: ad minimum valde dubia ſunt, quæ decantantur exempla Dyſpepticorum febre hectica abſumptorum.

Utrum Dyſpepſiæ ſemper ſymptomatica ſit hypochondriaſis, haud auſim determinare. Rem autem ita ſæpe eſſe nemo dubitabit qui, quam arctus ſit cerebrum inter et ventriculum conſenſus, ſemel tantum perpenderit.

Infauſto nuntio prævisove infortunio, mens cum deprimitur, languebit appetitus; ſuper cibis nauſeabimus quos deglutitos evomemus, vel intolerandi ſentietur ponderis ſenſus; vice verſa, languorem ventriculi excipient Cephalæa, aurium tinnitus, viſus depravatio, animi dejectio, &c. Male igitur ſe ſimul habent cerebrum et ventriculus: Bene quoque ſe ſimul habent. Peroptato favore exhilarati illiuſve obtinendi certa ſpe exultantes, cibos copioſiores deglutimus melius concoquendos. Haud raro infortú-

niorum

niorum inter pateras oblivifcimur. Lugere, ejulare definimus poft hilarata multo vino convivia. Si plus æquo mens excitetur, plus æquo excitabitur ventriculus. A maniacis ultra modum appetitur, fic ab iratis; vice verfa, fi nimis ftimuletur ventriculus, nimis irritari cerebrum, exemplo funt frequentiori rixis delectantes ebriofi. Famis aculeos obtundunt intenfæ cogitationes, ventriculique functionum feriationem inducunt, haud fecus ac functionum cerebri feriationem inducit quamdam, graviori onere ingemens ventriculus. Uno verbo talis eft inter utrumque organum confenfus ut animæ fedem in cardia repofuerint quidam.

Neque eft cur objiciatur haud hypochondriafi laborare qui temperamento funt fanguineo, nec juvenes, nec infantes. Licet enim haud æquo pede pulfet, nemo fecurus. Melancholicis vero, majus indubie imminet periculum de fuis affectionibus a primo mane ufque ad vefperam cogitantibus ideoque deprimentium paffionum jugo

 continuo

continuo ſubmiſſis. Quorum autem ad alia objecta trahitur attentio, hos raro affligit hypochondriaſis, vix in infantibus obſervata, quibus ad omnia verſatilem curioſitatem largita eſt benevola natura ; in juvenibus, velut mare irrequietis, noviſque, ſive veneris, ſive gloriæ, ſtimulis, excitatis ; in temperamento ſanguineo gaudentibus, mores juveniles vel nunquam, vel tardius, deponentibus.

CAUSÆ,

PRÆDISPONENTES.

Dyspepsiæ cauſam occaſionalem, cum raris quibuſdam vicibus, nullam licuerit obſervare, certam, a debilitatis parentibus, hæreditari proclivitatem, ſuſpicioni locus eſt. Num autem proclivitas illa differat ab infirmitate generali, haud minorem, multis aliis morbis, prædiſpoſitionem dante, dubius hæreo.

Temperamentum ſanguineum, propter liberiorem humorum motum, ſecretiones copioſas et excretiones quibus inſignitur, minime omnium obhoxium erit. Indubie majori verſabuntur in periculo melancholici quibus lente admodum circulat ſanguis, hic autem craſſior, ſi multis fides; male inſuper ſedentaria delectantur vita. Maxime omnium proclives reddit phlegmaticos, debilis, laxa, quam receperunt, compages; vaſa ſanguinifera parva et infirma, nil præter ſecretiones paucas et lentas efficere valebunt. De cholerico temperamento medium, ut-pote, tenente, ſanguineum inter et melancholicum, haud verbum faciam.

Nulli vitæ ſtadio conceſſa fuit immunitas. Multum exponentur infantes, quos, a naturæ ſemitis remotos, pravo more nutrierint parentes. Leviſſimus error tenerrima organa lædat, neceſſe. Multo quoque periculo objicientur exſucci ſenes ſtimulis, eheu! ſæpe neceſſariis, ventriculi torporem, adaugentes.

Fœminis

Fœminis languidior eſt motus periſtalticus quemadmodum ac omnes functiones, a vi muſculari, præcipue pendentes. Symptomaticam præterea dyſpepſiam generabunt varii quos inducet uterus morbi, cito in idiopathicam tranſituram. Sæpius autem, quam ſexum, vitæ, quod degunt genus, redargueris. Altiori in ordine natæ, vitam multifarie ſanitati adverſam vivunt, otioſam, ſedentariam; male ſe calidis conclavibus continent; perniicioſiſſima utuntur diæta; vix denique nocentiorem vivendi normam infenſus imperaret hoſtis. Plebeias, ex adverſo, dura premunt famulatus officia; nunc calore anhelant, nunc frigore contremiſcunt, laboribus, vel vires ſuperantibus, vel ſexui parum convenientibus, damnatæ.

Æſtate corpora relaxantur; minor fibris muſcularibus vigor adeſt; languidior ergo erit ſanguinis circulatio, perſpiratio minor, debiliores ideo ſecretiones. Minori ergo robore pollebunt digeſtionis organa. Minima, durante hyeme,

Dyſpepſiæ

Dyſpepſiæ proclivitas, niſi corpus aeri frigido humido exponatur.

OCCASIONALES.

Dyspepsiæ cauſa vix non ſemper in aperto erit, ſi iis quæ directe vel indirecte digeſtionis organa lædere poſſunt, attendatur.

I. Quæ directe agunt cauſæ ſunt ſequentes.

A, Unnaturales ingeſtiones, ſive quantitate ſive qualitate nocentes.

Haud dubium quin ventriculi muſculares fibræ, nimia ingeſtorum copia longius diſtentæ paralyticum quemdam ſtatum ſint aſſecuturæ, haud ſecus ac muſculi abdominis poſt partus quoſdam, vaſa ſanguinifera poſt aneuriſmata, inteſtina flatibus diſtenta. Ventriculum inſuper lædent

lædent nimiæ ingeſtiones, quem malis ſordibus gravabunt.

Quanta autem ciborum quantitas tali in effectu producendo, velut cauſa Dyſpepſiæ recenſenda ſit, determinabunt ætas, regio, exercitii genus, &c. Plures, quam vulgo creditur, peccare per exceſſum hic obiter notabo: multaque exempla poſteris annales medicinæ tradent, quàm pauca alimenta vitæ et ſanitati ſuſtentandis requirantur, commonſtrantia.

Valde diverſi generis alteram extare cauſam lugentes fatemur. Multi vitæ neceſſariis orbantur miſere; longius contracti ventriculi fibræ rigidæ fient, diſtenſionis ſtimulo rebelles in poſterum futuræ; contracta vaſcula ſuccum gaſtricum, vel nimis parcum, vel vitiatum ſecernent.

Sæpius vero propter pravas qualitates nocebunt ingeſta. Solis ut vegetabilibus veſceretur homo

homo non voluiſſe naturam probant et canalis alimentarii inciſio anatomica et dentium forma. Carnium eſum haud eſſe ſapientiæ adverſum, ut veteres ſomniabant quidam, ſed utriuſque cibi commixtione, et morbos præcaveri, et robur corpori conciliari, docuit experientia. Ergo ex utroque regno cibi depromantur. Sed male ſibi conſulentes homines multa deglutire amarunt, quæ nunquam, ut communi forent in uſu, conceſſerat natura.

E vegetabilium claſſe illa tantummodo ut alimenta adhibenda fuerunt quæ certam mucilaginis glutiniſve quantitatem contineant. Quotidie autem hiſce qualitatibus carentia thea, coffea, amara, aromata, narcotica, acida, abunde ingeruntur quæ inſuper noxiis qualitatibus pollent.

Theam, Coffeam, haud innoxia reputaveris quorum uſu debilitabitur ventriculus eundem ſtimulum infeliciter deſideraturus; nec merito,

calidos potus, ſolum mali fontem, incuſaremus. Haud æqualiter enim lædent diverſæ aliæ calidæ potationes, etſi multum damni afferant; varie inſuper agunt in diverſos, tum variæ theæ ſpecies, tum plus minuſve fortes infuſiones.

Amara citiorem ventriculo labem afferent, apud multos veneni ſuſpicione minime carentia, quippe quæ Cephalæam, vertiginem, exanthemata, &c. in quibuſdam conſtitutionibus inducant, quantula deglutiantur quantitate.

Certioris adhuc veneni, opii, nefandum uſum merito conqueruntur hodierni medici. Multos haud minus lædet nicotiana, ſive cum ſaliva deglutiatur, ſive a naribus deſcenderit.

Aromata, licet minus præcedentibus exitioſa, innumeros nihilominus fecerunt Dyſpepticos, tum unnaturaliter ventriculum ſtimulando, tum ad immoderatas ingurgitationes alliciendo.

Acida,

Acida, propter vires ſedantes, ſi liberius aſſumantur, haud parum nocebunt.

Utrum in victu animali ſeligendo, hocce modo errare potuerint homines ut venenum pro cibo captarent, forſan dubitari poteſt; ſed male ſanæ exiſtimandæ ſunt putrefactæ carnes; prava arte illas fumo, ſalibus, &c. induramus; prava arte naturæ dona, ut ita dicam, vitiamus, caſeum, *v. g.* butyrum e lacte exprimendo, animalia ſaginando, edulibus oleoſa miſcendo. Nocebit ex adverſo omnem artem neglexiſſe. Carnes crudas, ut pote tenacioris texturæ, devorandi mos multum redarguendus.

Quam longius autem a naturæ via receſſit homo, cum ſibi, crudeli ſolertia, lethiferos potus comparavit! aquam puram deſpectui habens cibis diluendis aptiſſimam, nec non ſalinis particulis diſſolvendis, nullo inſuper labore comparandam, multis laboribus, multis expenſis, fermentatione, deſtillatione potus unnaturali

 ſtimulo

ſtimulo nocentes, fibris muſcularibus torporem inducentes, ideoque ventriculo perquam adverſos, obtinuit, ac eheu! illorum uſu lædi amavit.

Hæc omnia quantum noceant ingenioſe expreſſit celebris auctor ſequentibus verbis: "vi-"detur ſapientiſſimus omnium rerum admini-"ſtrator, *efficaciſſimum vitæ filo reſcindendo inſtru-"mentum*, animalium carnes, vinum, et deinceps "invenienda luxus irritamenta grataque vene-"na obduratis vitiati generis humani affectibus "indulſiſſe."

B, Unnaturalis alimenta deglutiendi modus; haud minus directe, digeſtionis organa lædet.

Dentibus ut dividerentur, diſcerperentur, comminuerentur cibi, voluit natura. Quanti ſit momenti iſta mechanica diviſio ingenioſa probant clari viri Spallanzani experimenta. Nec obſcura

obſcura ratio; multum diviſos cibos citius ac certius penetrabit ſuccus gaſtricus.

Alterum autem alimentis vitium inducet maſticationis defectus. Qua tunc cibi carent ſaliva, multum inſervit. Hujus utilitatem demonſtrant et abundantior, dum maſticatio ſit, ſecretio; inceptæ in æſophago ſolutiones; feliciores infantum digeſtiones, dum ſugunt; anorexia illam expuentibus familiaris. Merito igitur laudaverunt cel. Buſſon aliique multi, nutricum morem pultim prius propria ſaliva madefaciendi, quam infantibus detur; quem morem, etiam quædam animalia bruta docuit haud in errorem ducens inſtinctus.

C, Motuum perturbatio, ſive ventriculi, ſive alius cujuſlibet partis canalis alimentarii, perniciofiſſimos poſt ſe trahit effectus.

De ruminatione nil dicam, rara quippe; haud tamen, ſi frequens, quolibet periculo vacante.

Certiorem

Certiorem autem inferet labem pravus evomendi habitus cui multi male obſequuntur, ſibi ægrotandum eſſe ſomniantes ni ſæpe ad emeticas potiones recurrant, ſtulto qui, ne pluvia maderet, in flumen ſe præcipitem dabat, vix ſapientiores. Stomachum æque debilitabunt vomitus ſpontaneos inducentes aliarum partium morbi.

Alvi tarditatis pœnas meriti luent quos, naturæ poſtulatis ne auſcultent, indolentia, ſegnities pudorve prohibuerint. Tali tarditati retenti flatus, artiumve quarumdam praxis, cum quis incurvo trunco laborare tenetur, debilitatem inducendo, haud parum favebunt. Feliciter puellarum abdominalia viſcera comprimendi, ſub ſpecioſioris corporis habitus acquirendi prætextu, ridiculus obſolevit mos.

Inteſtina catharticis frequentibus aſſueta ſoliti ſtimuli, amplius, ut par eſt, excitare nequibunt, ideoque ut torpor iſte vincatur,

ad

ad idem remedium, magis ac magis nociturum, repetitis vicibus, confugiendum erit. Sæpe torporis loco, multo nequior aderit irritabilitas, cujuslibet ſtimuli impatiens.

II. De cauſis indirecte agentibus, quo major eſt ventriculi, præ aliis organis, cum cerebro, cute, quin imo toto ſyſtemate, conſenſus, eo potentioribus, nunc breviter dicam.

A, Corporeis annumeretur ſedentaria indolenſque vita, languentem poſt ſe trahens circulationem, languentes ideo ſecretiones omnes et excretiones. Nec majus dubium erit de nocivis caloris effectibus, frigoriſve, præſertim humidi, quod indubitato ſuperficiem corporis inter et ventriculum, referas conſenſui quem invicte probant, tum amarorum ingurgitatio exanthemata producens, tum pulvis Doveri adeo copioſos eliciens ſudores, tum a Sydenhamo eliciti ſudores, vomitus compeſcendi gratia, &c. Quæ totius corporis vires infirmarunt

firmarunt nimiæ evacuationes, hæmorrhagiæ, menorrhagiæ, veneris immodicus uſus, &c. haud raro incuſanda erunt.

B, Præ omnibus forſan ventriculo pertimeſcendæ erunt mentales affectiones. Omnes quæ deprimunt paſſiones corpus mœſto ſemianime efficiunt; modo vero ſpeciali digeſtionis perturbant opus. His quæ ſupra, ut ventriculum et cerebrum conſentientia oſtenderem, ſcripſi, hic breviter addere liceat, vix non ſemper mentem ab anxietatibus prius liberari quam ſolitas vires recuperaverit ſtomachus.

CAUSA PROXIMA.

Dyspepsiæ cauſam proximam, immerito, ni fallor, in ſucci gaſtrici defectu ſolo vel vitio repoſuerunt quidam. Quomodo enim concoctiones infauſtus nuntius ſubito turbaret? Num mentis pathemata jam ſecretum ſuccum, nec non effuſum, vel expellent vel vitiabunt? Num, muſculo-

ſarum

ſarum partium debilitatis ſi ſimul ratio haberetur, felicius explanarentur morbi ſymptomata? cauſam vero proximam perfecte attingi non poſſe mihi in mentem ſubit, quin prius reliquorum viſcerum chylo-poieticorum uſus, plenius intellexerint phyſiologi.

PROGNOSIS.

Debilitate quam inducit Dyſpepſia, quidam e medio ſublati ſunt; rara autem adeo ſunt ejuſmodi exempla ut vix unquam lethifer exiſtimandus ſit morbus; morborum vero, ætati, ſexui, propriorum, reformidandam catervam poſt ſe trahere amabit, certoque certius, ni cito ſubigatur, trahet. Tota ergo prognoſis circa morbi durationem unice verſabitur, circa quam interrogatus medicus attendat, 1*mo*, Ætati: Infantibus naturæ commiſſis, majores ſunt quam vulgo creditur convaleſcendi fortes; ſenibus autem, qua proportione vires deperdunt, mi-

 nores.

nores. 2*do*, Sexui: Dyſpepticæ enim fœminæ, uterinis affectionibus Dyſpepſiæ adaugendæ aptioribus, plerumque ſubjiciuntur. 3*tio*, Violentiæ ſymptomatum: Cum quis adeo debilis eſt ut vix pedem movere poſſit, ingeſtave fere omnia evomat, minus certe ſperandum. 4*to*, Tempeſtati regionique: Ventriculo enim inimicus erit relaxans calor; haud minus aer frigido-humidus. 5*to*, Cauſis: Malum eſt ſi e toto eliminari nequeant. 6*to*, Animi fortitudini: Medici opprobrium erunt quibus, ſpe omni deſtitutis, atra mortis imago continuo oculis obverſabitur.

RATIO MEDENDI.

Tria nobis ſeſe offerunt conſilia quorum, 1*mum* eſt, Potentias nocentes removere, 2*dum*, Debilitato ventriculo cibos convenientes ſeligere, 3*tium*, Amiſſum ventriculo vigorem reſtituere. Quam diviſionem

divifionem haud fat effe logicæ regulis accommodatam fatemur.

CONSILIUM PRIMUM.

De caufis occafionalibus quas quam primum removendas effe apud omnes convenit, nil incumbit dicendum. Hic prudentiam quamdam, in illis removendis, requiri, tantummodo notabo. Cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit affuefcere. Non nifi gradatim affuetis ftimulis ftomachum orbaveris, nec enim manum aduftam fubito ex igne in glaciem bene tranftuleris.

Alterum vero eft potentiarum nocentium genus, morbi nempe fymptomata morbum adaugentia.

Vomitus fiftendi exploretur caufa. Male remorantes cruditates expellat medicus, nec non, quantum fieri potuerit, catharticorum ope.

Motui enim periſtaltico inimica ſunt emetica, haud tamen, ſi nimis ſoluta ſit alvus, temnenda. Tutior eſt antimonialibus præparationibus ipecacuanha; haud raro floribus chamæmeli, ſinapi, &c. optati obtinebuntur effectus. Multum boni a vomitione maritima, ſi in promptu ſit, expectandum. Cum vero ab irritabilitate nimia orientur vomitus, illos caute præſcriptum opium mire ſedabit; ſæpe haud minus certe veſicatorio, hauſtu effervescenti, potione frigida, aquis ſpirituoſis deſtillatis, lavendulæ, menthæ, &c. componentur. Quolibet autem e fonte hæcce motus periſtaltici oriatur ſubverſio, illi potenter obſiſtent clyſmata, præcipue cum opio, potentius vero cathartica, melius, ſi ſub forma pilularum dentur, retinenda.

Nauſea plerumque nonniſi violentia a vomitu differt. Licet autem identidem a peculiari nervorum affectione oriri videatur, iiſdem, ac vomitus, ſubigetur remediis.

Alvum

Alvum tardiorem ſæpe ſæpius queruntur Dyſpeptici, citra dubium catharticis movendam vel clyſmatibus, quidquid adverſus hæc, nimis verecundus ſcripſerit Vanhelmontius. Multum quoque proderit aperiente diæta uti, nec non ſtatis horis, alvi dejectionem moliri.

Diarrhæam, ſi ex acribus ingeſtis oriatur, plerumque naturæ eſſe committendam exiſtimamus. Raro cathartica requirentur. Cum autem ab inteſtinorum debilitate orietur, tunc variis ſtimulantibus conjungantur opium, gummi quædam, kino præcipue vel catechu; quæ tamen ſeorſim dari poſſunt. Ab aciditate nimia oriundam diarrhæam ſiſtat creta.

Ex flatibus ſtomachum inteſtinaque diſtendentibus, crebri ſunt Dyſpepticis dolores, quibus ſublevandis apud multos, ſpecifici titulo gaudent multa ex umbelliferarum claſſe ſemina, carvi, aniſi, &c. Haud modicæ virtutis reperientur ether, alkohol. Non ſine periculo flatus

flatus hoſce ſpontaneis eructationibus expellere tentaret æger. Multi, hoc modo, aerem atmoſphæricum intra ſtomachum trahentes, malum adauxerunt.

Cardialgiam ex aciditatibus forſan ſemper oriundam, præ omnibus levabunt abſorbentes terræ, creta vel magneſia, prout alvus ſoluta aſtricta ve fuerit, ſeligendæ. Magna quoque vi, in tali cauſa deſtruenda, pollere dicuntur aromata, majori vero, amara. Sæpe illis obtundendis oleoſæ mucilaginoſæve potiones ſufficient. Citius autem ceſſabunt dolores, ſi narcotica eodem tempore adhibeantur.

Gaſtrodyniam, quam ventriculi ſpaſmodicam affectionem eſſe, vix dubium, optimo cum ſucceſſu antiſpaſmodicis debellaveris, opio, ethere, emplaſtris epiſpaſticis, &c. neque negligantur alkalinæ terræ, aciditatem, ſi qua ſit, correcturæ.

CONSILIUM

CONSILIUM SECUNDUM.

DEBILITATO ventriculo convenientes ſeligendi cibi, morbi violentiæ, ægrotantis ætati, temperamento, habitibus, quin etiam idioſyncraſiæ attendendo. Brevitati vero conſulens, paucas tantummodo regulas generales tradam.

Ex vegetabilium claſſe, illa ut cibi aſſumantur quæ minime ad aceſcendum proclivia ſint, bonus panis fermentatus, beta, paſtinaca, carota, porrum, &c. vel igne deſtruatur iſta nociva proclivitas qua feliciter carent cocta poma, pyri, pruni, &c. bonam diætam dabunt quæ maxime mucilagine glutineve abundaverint, frumentum, ſago, oryza, battata, ſaccharinæque ſubſtantiæ. Circa quæ tamen bſervatu dignum eſt, farinoſa omnia quæ præcedenti fermentatione haud ſubacta fuerint,

rint, nimium futura esse, plerisque Dyspepticis, onus. Periculo vacabunt quæ tenerrimæ sunt texturæ cauliflor, asparagus, &c. procul autem a debilium mensis exulent quæ tenacia sunt. Vix arte ulla secura reddentur brassica, fabæ, pisa, &c. postquam plenam maturitatem attigerint. Minime tuta erunt acetaria, nec non quæcumque cruda ingesta fuerint. Succo gastrico haud solventur oleosa ideoque ventriculum gravabunt.

Ætate provectiorum animalium carnes, majori salium quantitate stimulantes, præ juniorum, solutu faciles esse ingeniosis constat experimentis. Quadrupedia volatilibus, quidquid opponat vulgi opinio, præferenda; castrata non castratis antecellunt; nec non, domesticis, quæ feram degerunt vitam; item macra pinguedinosis. Suspectas habeant imbecilli aquatiles aves haud secus ac omne piscium genus quibus rubræ subrubræve sunt carnes.

De

De animali cibo notandum, illas teneriora alimenta præstituras esse carnes quæ, aliquantulo tempore ante esum servatæ fuerint, minori exercitio induratæ. Modice tantum, ni propter pravum habitum moverint nauseam, concoquantur.

De ovis nil habeo quod dicam. Valde nutriunt facillimeque solventur si sorbilia deglutiantur.

Lac plerique sat bene digerunt. Oleosum minus est quod ab animalibus non ruminantibus præbetur. De omni lacte verum est illam partem esse aquosiorem quæ prius a mamma obtenta fuerit, ideoque debili stomacho accommodatiorem.

Cujuslibet generis cibi, simplicissima forma dyspepticis administrentur; mera coctione præparati. Mala erunt condimenta quælibet; mala olei butyrive admixtio præcipue si ad

ſtatum rancidum tranſiverint. Tutiores debilibus erunt e vegetabilibus deprompti cibi, infirmatis organis facilius in chylum convertendi, quorum tamen parcos uſus ſæpe imperabunt præcedentes habitus, nimiave ad aciditates tendentia, majorem ciborum animalium quantitatem poſtulans. Plurimas ciborum varietates commixiſſe pœnitebit dyſpepticos; tales enim commixtiones fermentationi proniores ſunt quam ſuccus gaſtricus, vel deficiens, vel vitiatus, minime coercebit.

Sat inutiliter de potu multa dicerem. Illi, præ reliquis, laudibus commendandi erunt liquores qui minus contineant alkohol. Caute tamen aſſuetis detrahendi validi potus. Illi vitentur quos ad aceſcendum proclives experientia conſtiterit. Quod vitium, præ omnibus inducet ſacchari ſuccique limonum admixtio. Num tale vitium ſufficienter corrigitur in valentiſſima Londinenſi cereviſia?

Plurima

Plurima alia circa diætam inquirenda forent. Quota diei hora melius aſſumentur cibi? num tuta erit plena cœna? num frequentes debent eſſe menſæ? &c. Sed jam longior fui ideoque ad ultimum conſilium propero.

CONSILIUM TERTIUM.

Amissæ ventriculo reſtituendæ vires.

I. Magni momenti erunt multa ſtomachum immediate afficientia remedia. Illius torpentes excitabunt fibras diverſa ſtimulantia: Inter amara elucent gentiana, chamæmelus; inter reſinoſa, aloe, myrrha; inter aromata cinnamomum, piper, mentha, lavendula, &c.

Multum quoque erit expectandum ab uſu corticis peruviani, radicis colombæ, anguſturæ, &c. in quibus diverſarum qualitatum commixtionem reperire eſt, amarorem, aſtringens

principium et aroma. Multas laudes merentur ferri præparationes.

Horum omnium ſat noti ſunt boni effectus. Semper a medico ſub forma illa præſcribantur quæ ſimpliciſſima erit; ſæpe enim, habitus Dyſpepſia haud minus periculoſos induxit tincturarum uſus; memoria inſuper teneatur haud paucis nocuiſſe longiori tempore deglutita amara.

Circa tempus quo hæc ſtimulantia dari debeant, apud omnes convenit illa melius efficaciam ſuam ſortitura, ante menſam aſſumpta.

Succum gaſtricum ex aliorum animalium ſtomacho obtentum multum laudant Itali medici. Quoſnam effectus producat, propria experientia haud conſtat. Tale vero remedium a natura minime fuiſſe intentum, non pauca ſuadent.

II. Fruſtra, Dyſpepſiæ curandæ cauſa, pharmacopolarum evacuabuntur officinæ: Sola illa remedia perfectam ſanitatem reddent quæ in totum ſyſtema egerint.

A, Ex iis quædam afficiunt corpus, inter quæ habeatur frigus. Num robore pollent qui ſeptentrionales habitant plagas? num major, durante hyeme, appetitus? multum ergo ſibi nocent qui adeo incredibili cura frigidum aerem vitant. Num ſub inimico cœlo nati ſumus?

Optimum frigoris applicandi modum balneum frigidum exiſtimaveris, magis quam ejuſdem temperaturæ aer, nervos ſtimulans, fibras muſculares conſtringens, liberiorem ſanguinis circulationem promovens. Quantum ideo digeſtioni inſerviat nemo non videt. Cum fieri potuerit, in aquam maritimam deſcenſum præſcribat medicus; ex tali enim balneo magis ſperantes ægri magis obtinebunt, minus autem

ſalinis

ſalinis particulis debebunt quam propriæ ſpei et in obſequendo fidelitati.

Cujuſlibet momenti ſit lavatio frigida aliuſve frigoris applicandi modus, majoris adhuc erit exercitatio. Juxta ingenioſum Menenii Agrippæ apologum, languebit neceſſario ſtomachus ni labore artuum ſuſtentetur. Cur exercitii vix unquam comes Dyſpepſia? Quodnam diſcrimen ruſticas puellas inter ac urbanas? quodnam inter infantes quibus membra movendi licentiam ſapientes concedunt nutrices, ac eos qui, ut ita dicam, anguſtis vinculis coarctantur. Num debiliora fuerunt animalia domeſtica cibos propriis viribus comparare haud amplius coacta? num languent plantæ quæ ventis non agitantur? Uno verbo adeo efficax eſt in Dyſpepſia arcenda curandave exercitatio ut omnes fere hujuſce morbi cauſas, et multoties, et conjunctim applicatas, irritas reddat, omniumque remediorum ſæpe locum teneat; ex adverſo autem ſolus exer-

citationis

citationis defectus certo certius aut Dyſpepſiam inducet aut jam inductam inſanabilem reddet, ut ſæpe in noſocomiis obſervatur.

Exercitationis modum et gradus determinabunt ægrotantis ætas, ſexus, vires, &c. Illa anteponatur quæ magis placebit quæque ſub pleno jove fiet; nunquam ad defatigationem producatur.

B, Mentis quoque in Dyſpepſia curanda habenda ratio. 1*mo*, Omnibus quæ deprimunt pathematibus ſubripiatur æger. Quoniam autem affectiones animi nullis ſunt medicabiles herbis, in auxilium vocentur amici, parentes, &c. 2*do*, Quantum fieri potuerit, animam excitatura concedantur, gratæ lectiones, muſica, ſaltatio, &c. uno verbo quæcumque gratam, nec minus ſalutarem hilaritatem generare apta ſint.

Innumeras quibus hocce tentamen fœdatur

maculas

maculas condonate, indulgentiſſimi judices. Mente, quæſo, revolvatis breve temporis ſpatium, quo medicinæ ſtudio incubui, minime curis, mœroribus anxietatibuſve fuiſſe vacuum.

Valete. Cito perdilectæ patriæ reddar, vos ibi, laudibus, honore, nec non grato animo, quamdiu vixerim, proſecuturus.

FINIS.